



Miscellanea de lingua Latina

<https://hdl.handle.net/1874/420896>

8 2

MISCEL-
LANEA DE LINGVA
LATINA AVTORE GVLIEL-
mo Insulano Greuiprocense: opus ua-
ria & multa eruditio-
refertum.



COLONIAE IOANNES SOTER.
excudebat, Anno à Christonato
M. D. XXXIII.

ЛНДІМ

ЛУДІА-ЗД-ЛІДІ
ДІЛІОУ-ВІЛІА-ЛІДІ
ЛІДІОУ-ДІЛІА-ЛІДІ
ЛІДІОУ-ДІЛІА-ЛІДІ

ЯВОЗ ЗЕМЛОВАЛІКОІ
ОВАСІРІСІСА-ЛІДІ
ЛІДІКК Л. М.

ILLV

STRISS. PRINCIPI ET DOMI

no. D. Gulielmo iuniori principi Clivis, Iuliaria

Montis, Gulielmus Insulanus Greui

proceſſ. S. P. D.



VI lucubratiōes su
orum librorum ui
ris summo loco p̄
ditis inscribūt, prin
ceps optime, præ
terquam quod gratiam & dignatio
nem horum quærunt, præfidiū quo
q; aduersus uim iniuriamq; æmulo
tum petere solent. Eodem ego stu
dio atq; consilio in præsentia sum ad
ductus, hanc meā qualēmcūq; indu
striam laborēq; celsitudini tuę con
secrandi. Etenim cum intelligerem
editiōem præsentis operis apud nō
nullos propter raritatem exēpli plu
a ii rimū

EPISTOLA.

rimum admirationis habiturā, mul-
tum fortassis etiam inuidiæ & obtre-
ctationis, quod suspicarer non defo-
re, qui sedulitatem diligentiaq; hāc
meam tanquam morosam forte im-
pugnarent. Et tamen ex altera par-
te plus apud me (ita ut debuit) ualu-
isset studium & amor bonos iuuādi,
qui modo hāc nostra ducerent legē-
da. Ex omnibus iis qui passim occur-
rere poterant & dabantur, princeps
Illustriss. te unum diligere mihi ui-
sum est, cui libelli huius editionem
nuncuparem deferremq; patrocini-
um. Nec tamen dignaberis queso
princeps hanc meam operam quasi
forsidā ac circa res humiles uersan-
tem, quippe quæ multū alioqui uti-
litatis sit præbitura & plurimorum
solicitudinem metumq; iuste repre-
hensi

N V N C V P A T O R I A.

hensionis subleuatura, eorū, inquā,
qui forte politum illud & limatum
iudicium de Latino sermone discer-
nendi nondum fuerunt consecuti.
Quid, quod M. T. Cicero & C. Iuli-
us Cæsar summi ambo & artifices &
autores dicendi, similem prope pro-
uinciam suscipere nō sunt dedigna-
ti: De quibus uerba Fabii, quoniam
ad rem faciunt, libet subiicere, nāq;
sic inquit libro primo Oratoriarum
institutionum: An ideo minor est
M. Tullius orator, quod idem artis
huius diligentiss. fuit, & in filio, ut in
epistolis apparet, recte loquendi us-
quequaq; asper exactior: An uim C.
Cæsaris fregerunt editi de analogia
libri: Haec tenus ille. Et ne nostra sæ-
cula carere exemplis putemus. An
non Laurentius Vallenfis summus

a iii cla-

EPISTOLA

clariss. q; orator censurā lingue Latine
næ sibi defumpsit, de eaq; certas præ-
ceptiōes quas adhuc in manibus ha-
bemus tradidit: per eadem uestigia
(ut alios omittamus, postea ingressi
sunt Hadrianus Cardinalis Corne-
tanus, Mancinellus, Bebelius & Cro-
cus: hi duo in Germania, priores illi
in Italia: quo minus mirari nedum
succēdere quis debet, quod ego quo
q; simili exemplo sim usus obserua-
tiones aliquas de lingua Latina tra-
dēdi. Quod si quis libellum hūc no-
strum Auctarii uice ad illorū quos
mox recensui libros annexat, ma-
gna profecto parte sese adiutum es-
se senserit. Adde quod causam huic
diligentię meę dedit necessitatē q;
attulit præsentis operis euulgandi,
quod cernebam plerosq; in Germa-
nia

N V N C V P A T O R I A.

nia uiros populari quadam persuasi
one eruditos quotidie nobis dare no
ua uolumina , quibus si nomen au
toritatemq; illā quomodocunq; cō
ciliatam detrahas , iudiciū profecto
paruum quo se tueantur , remaneat .
quod genus hoīm exoriētem apud
nos fructum bonarum literarū qua
si pestilentes quedam nebulæ inter
ceperunt . Itaq; ut in tanta diuersita
te scribendi ac iudiciorum uarietate
prodeßem studiosis literarū omni
bus , discretionemq; aliquam ostend
erē sermōis Latini ac barbari , sum
annixus , quamobrem uoces aliquas
uitio ac licentia temporū paulatim
in cōsuetudinem deductas hic in or
dinem redigi , quas non secus quām
infamem scopulū maris nauta , ita
doctus quisq; scribendo aut loquen

a iiiii do

EPISTOLA.

do uitare debet, interim etiā demon-
straui nomina quēdam pro cursu tē-
porum ac iudiciorū inēqualite ali-
ter apud alios usurpata, quibus spar-
sim ad formam miscellancorū alia
quādam non profecto pœnitenda
sunt interiecta, ac fieri quidem posse
non arbitror, quin tibi principi bo-
narum literarū candidato hoc opus
nostrū quod μισθεάταρον uocare pos-
sis, gratum sit futurum & acceptū:
etenim quantum detesteris rudita-
tē & barbariā, illud abūde testatur,
quod ad maiorum tuorum laudes,
quæ semper fuerunt, cultū illustres
splēdoremq; literarum addideris, &
doctissimorum quorūdam Germana-
niæ uirorum aperte familiaritates
iampridem appetieris, iiq; uicissim
editis etiamnum operibus tibi tan-
quam

N V N C V P A T O R I A.

quam nouo cuidam Mæcenati stu-
deant sese approbare. Tuq; interim
philosophorum Rhetorumq; lecti-
onibus delectatus, ætatem minime
inertem uelis transire, consilio quod
omnes censem̄t optimo: Etenim cor-
ruptam educationem quam plerun-
q; blāda nutrix aut nugator aulicus
facere consueuit, disciplinę philoso-
phicę optime norunt emēdare, atq;
hoc etiam præstare, ut melius quām
in speculo tuum tuorumq; ingeniū,
naturam, studia, mores possis inter-
noscere. Iam uero studium pietatis
& quietis tuum, quod in epistola qua-
dam ad Erasmus significas, & nos
non sine magna uoluptate in te relu-
cere uidemus, quis non magnopere
commendet, prædicet, attollat: Ad
eundem scribis, te minime cupidum

a v au

EPISTOLA.

gendæ ditionis, sed Spartam quā na-
ctus sis ornare te uelle, & hercle be-
ne. Etenim consideranti tibi functi-
onē muneris tui, plena profecto hęc
honoris & oneris apparat. Sin uero
fines ditionum tuarum intuearis, tā
longe lateq; patēt, ut nihil ipsis pre-
ter nomen ad amplissimum regnū
deesse uideatur. Quare maecte huius
tui ppositi esto princeps illuſtriss.
& nominis tui gloriā ita ut facis con-
ſtāter illustres atq; tuearis: deum

Opt. Max. oro ut celsitudi-
nem tuā diu incolumē ser-
uet. Coloniæ Quinto
Calendas Decemb.

M. D. XXXIII.

MISCEL.

LANEA DE LINGVA LATI-

na, autore Gulielmo Insulano Greuipro
cense, libellus, uaria ac multipli-
ci eruditione refertus.



RINCIPIO QVIDEM O-
per ex pretium iudicau, multorum er-
roribus occurrere mederiq; certas
quasdam uoces Graecolatinas, proido-
neis usurpantium, cum non temere
alias eius generis uoces receptas in-
uenias, præter duas duntaxat à Fabio Quintiliano re-
censitas, que sunt Epitogium & Epirrhedion, quanquam
Rheda usurpatione longa sit Latinum uocabulum fa-
tum, cum prius Gallica uox fuisset: unde hæ uoces Ar-
chipræsul, Christicola, Protonotarius, Pseudopötifex,
Constantinopolis, atq; aliae eiusmodi, nō recipiuntur à do-
ctoribus. Duab' illis à Fabio recitatis, annumerare que-
as recidipnū, cuius apud Iuuenalē in Satyris est metio:
Rusticus ille tuus sumit recidipia Quirine.

Nomen compositum à uerbo prope obsoleto nempe re-
ciniū, uestis quo post tergum reiicitur, interprete Ser-
uio, in primolibro Aeneidos, et deinde ἡ τὸ διάνυσ, hoc
est, coena, quasi dicas, uestem coenatoriam. Hac uestem
Martialis uno uerbo appellat coenatoria, iuxta intelli-
ges pallia, Sic enim habet libro nono Epigrammatum:
Pugnorum reus ebrieq; noctis

Coenda.

MISCELLANEA,

Cœnatoria mittat aduocato.

Epidamnū licet sit Græcolatina uox atq; etiam à Platō usurpata, quia tamen nomē inauspicatum uidebatur, placuit quondam Romanis, referente Plinio, Dyrrhachium dicere, est enim urbs in Epiro.

Sunt quedā Græcauerba, quæ modica in flexione facta, olim sunt cōuersa in Latinitatē, ut psallere, baptizare, catechizare, exorcizare, patriazare, aut per syncopē patrizare, propinare, gargarizare, scarificare, litare. Adde etiā obsonare. Hic obiter in mentē uenit, obsonare nō solum esse emere obsonia, sed etiam alere & confortare famē, ita profecto accipitur illud uerbū à Cicero, in quinto libro Tusculanarū Questionum: Ibi Socratē ferunt cum usque ad uesperū contentius ambularet, quæ situmq; esset ex eo, quare id faceret, respōdiſe, se quo melius cœnaret, obsonare ambulādo famem. Hæc ille. Porro talem fictionem seu deriuationem è Græcis in Latina, consilium meum est, non ab unoquoq; promiscue faciendam, propterea quod hic iudicio singulari est opus, & ueritate ducem ac magistram bene dicendi sequi debemus. Quamobrem non probō eos, qui paucare pro quiete, tamet si παύω & παύουσι Græcis est quiescoν, παύονται, quies seu cessatio.

Rursus nōnulli parum bene cōstituti in lingua Latina, deflectunt infinitiuia Græca in Latina, hic ubi minime opus est: atq; etiā dum autoritate & exemplo ueſtatis caremus, ueluti qui φάεοθη̄ ita uariant, ut dicant

DE LINGVA LATINA.

eam flibotomare, at qui nihil est necesse. Cicero bene loquendi autor libro sexto epistolarum ad Atticum in ea que incipit: Accepi tuas literas, scripsit sanguinē mittere, alibi sanguinē detrahere: dicitur etiā apte secare aut incidere uenas, quo fit, ut in usurpatione huius uocis flibotomare, in opiam nostrā linguae accusare nequeas.

Sunt item nonnulli interpres uitiosi linguae Latine, contendentes hanc uocem fornicari à ḥō ḥō p̄p̄w̄ singi, litera p̄ infuersa, sicuti pomparam à ḥō ḥō ubun̄ sola litera n̄ mutata in p̄, imaginantur à Græcis eſe mutantam uocem, sed friuola est horum interpretationis, nullis certis rationibus subnixa. Cæterum fornicari non est proprium stuprum inferre, sed opus aliquod ad specie fornicis fabrefacere. Nec auscultandum censeo Ambrosio Calepino, deriuanti hoc uerbum fornicari à fornice, eo quod scorta, ut inquit, in fornicibus habitare consueverint, hoc quidē cōprobo, uel Iuuenale autore sic scribēte:

Lenonum pugri quoconque in fornice nati.

Verum eo tamen non sit ut arbitrer fornicari à fornicē descendere, cum contrā à uerbis nomina deriuari saltant, unde à fornicari uenit fornix: et fornicatum opus dicimus, quod sit concameratum seu ad formam testudinis factum: id si angulosos recessus habeat, anaglyphum appellari solet.

Apud Theologos reperio pietatis quosdam gradus distinguiri, uti primum officium pietatis debetur deo, proximum uxori, dehinc tertium parentibus. Cæterum Ciceronomen pietatis, non tam late extendit, sic enim

pietatem

MISCELLANE A,

pietatem libro secundo de Inuentione diffinit, pietas
est per quam sanguine coiunctis patriæq; benevolis offi-
cium & diligens tribuitur cultus. Deiuero cultū & cir-
ca hunc uerantes ceremonias solitus est appellare reli-
gionem. Non tamen nego aliquoties pietatis nomen ab
oratoribus transferri ad cultum dei & religionem.

Ad similem modum plerique intelligunt continen-
tiam esse dumtaxat refrenationem impudicitie, cum
illa summatim in eo consistat, ut te contineas ab omni
impetu malarum cupiditatum, ne'ue animum cogitatio-
nesq; tuas circa res turpes uersari permittas, sic enim
describitur à Cicerone in libro proxime memorato: Co-
tinentia est per quam cupiditas consilijs gubernatione
regitur.

Solet in eruditum uulgas opes pro diuitiis dumtaxat
accipere, opulentū pro diuite rerū. Ceterum opes pau-
lo quiddam amplius comprehendere uidentur, onne
nanc; illud: quod opem ferre homini queat, itaq; carum
nomine intelligimus quoq; propinquitates, affinitates,
clientelas, scrutia secundcipia, ius uectigale & si quid
aliud est eius generis quod opiculare nobis queat.

Gentilis qui ex eadem gente mecum est, dicitur: nec
uideo quam iuste vox illa transferatur ad genus homi-
num, quos Ethnicos uocamus: scias tamen nomen fami-
lie latius se porrigerere, quam gentis in praesenti signifi-
catione, si Lactantio Firmiano credere uolumus, qui in
quarto libro diuinarū institutionum tradit libertos ma-
numissos à patronis nomina familie cui inserviissent
frequen-

DE LINGVA LATINA.

frequenter acceperisse solitos, quos tamen Gentiles patrō
norū non recte appellaueris. De hoc etiam attigit ali
quid Cicero in Topicis suis & Iuris consultus in Pande
ctis, titulo de uerborum significationibus.

Impotentia vocabulum licet ad eos plerūq; refe
ratur, qui sibi nequeunt temperare ab impietu uiolētiāq;
animorum, etiā nūlominus pro imbecillitate à Teren
tio usurpatum comporio, sic enim in Adelphis inquit:
Omnes quibus res minus secūde sunt, magis sunt nescio
quomodo suspicioſi, ad contumeliam omnia accipiunt
magis, propter suam impotentiam sese sc̄per crea
dunt negligi.

Congressus & congressio sunt infra consuetudinem
affiduā & minus quiddam q; familiaritatē honorare uidē
tur. Cicero in secunda oratione Philippica: Eunq; à tua
non modo familiaritate, sed etiam congreſſione patrio
iure ac potestate prohiberet.

Redemptorē uolunt esse architectum seu praeſectū
alicuius operis & impensarū: ita apud Horatiū in Odis
acepiū intelligo, et in epistola Ciceronis ad Q. fratre
que incipit Sex. noster: Domus utriusq; nostrum, inq;
edificat strenuere. dēptori tuo dimidium pecuniae cura
ui, alias numerui. Porro apud Titū Liuum libro quar
to, de bello Macedonico, apparet redemptorem intelli
gi eum, qui sit questor seu praeſectus annonae. hæc sunt
uerba illius: Id forte erat tempus anni ut frumentum in
areis haberent. Itaq; redemptoribus uetus frumentum
parare ac Romā dimiſſis, bellum, inquit, seipsum alet.

Tabellio.

MISCELLANEA,

Tabelliones commentarium rerū actionum' ue
rum nominant rotulum seu protocollum, & referre in
commentaria, protocollare. Et si enim Græcis protocol
lum idem est quod confusa aliqua series seu primi con-
glutinatio materierum, tamen quia Latinam uocē satis
idoneam ad manum habemus, et nomen protocolli du-
biam significationem in se continet. Add e quod parum
bene consulti ingenij sit, (ecclesiæ consuetudinem exci-
pio aliquoties aliter facientis) foris mutuari, quod domi
habeas, ut amur sane hoc uerbo commētarium. Porro id
esse commentarium quod protocollum dicunt, satis ma-
nifeste colligitur ex Cicerone libro quinto epistolarum
familiariū, eo loco ubi postulat à Luceio rerum à se ge-
storum memoriam historijs celebrari, dum prius polli-
cetur se commentarios (id est summarium aliquod consi-
dere uelle. Idem in Bruto: Non est oratio, sed quasi ca-
pitularerum & orationis commentarium paulo plenius.
Itemq; in Oratione secunda Philippica, cuius domus
questuofissima est falsorum commentariorum & chi-
rographorum officina.

Possessio in singulari numero est usucatio: posse-
siones, diuitiae: inde locupletem à locorum que posside-
at multitudine, dictum existimat Iuriscons. in Pandex-
tis, titulo de uerbo. significat. Ad consimilem modū fa-
cultas est cōmoditas siue potestas, facultates diuitiae,
sicuti fortuna euentum fortuitam, fortune bona signi-
ficant. Nec tamen nobis fortasse cum leguleis cōueniat
cum nomine bonorum lites, actiones, causas quoq; com-
prehensio-

DE LINGVA LATINA.

prehendunt volunt.

Festus describit incestum admitti cū affinibus, nec tamen facit mentionem vestalium uirginum: cum his etiam incestum committi, declarant hec uerba Liuij in secundo libro primæ decados: Quia tamē errores cōeūscere, ut Oppia uirgo uestalis damnata inceſti pœnas deſerit. Et Posthumia item uirgo uestalis, uti est in quarto libro primæ Decados Liuij, de inceſtu cauſam dixerat. Porro quodd. Nicolaus Perottus in ſuo Cornucopiae inceſtum facit ab in castis, mirum profecto uideriqueat, mirum tam doctum in re tantula errasse: habenda tamen illi gratia, qui alioqui amplissime de lingua Latina ſit promeritus. Potius uero iuxta traditionem Festi uenit ab aniceſto, quod mea interpretatione ualeat idem, quaſi contristans cingulum Veneris, qui quondam religiosus haberetur. Poſtremo ſciat à gregarijs iſtis Theologis ſacrilegium pro inceſtu seu inceſto, ſed me herele peruerſiſſime, nominari.

Partiarū dici illum qui agrum ad pensionē annuā forte conduxerit, nō omnino improbo, magis tamē probare colonum partiarum dici: nam ſic à Catone nominatur. Porro coloni ſimplex nomen uarijs significationibus patet.

Probare accipi pro eo quod fit degustare, pitibarre, pertentare, facere periculum, capere ſpecimē, uirſcio ſi concedatur à doctiſſimiſ quibusq; etiam ſi dicatur uerbiſ Euāgelij, Iuga boum emi quinq; & eo probarē illa uidetur mihi corrumpo quodam more hoc uerbū,

MISCELLANEA.

sicuti alia permulta, ex Italico idiomate irrep̄siſe in
Latinum, siquidem illi dicunt prouare. Nam quod Ca-
lepinus afferi illud Plauti in Trinummo, quippe ex eo-
rum ingenio horum probant: ut ostendat probare acci-
pi pro eo quod sit data opera experiri, parum mihi cū
mente Plauti congruere uidetur: Est potius idem quod
conīcere seu estimare: simile illud Terentianū, unum
cognoris, omnes noris.

Naturalis filius à uulgo barbarorum dicitur qui sit
ex illegitimo thoro suscitatus, sed parum apte. Est au-
tem proprius filius tuus naturalis, qui sanguine & natu-
ra sit tuus, non adeptione factus. Hanc distinctionē in-
telligas ex his uerbis Tranquilli in Tiberio, filiorū ne-
que naturalem Drusum, neq; adoptiuum Germanicum
pro patria charitate dilexit.

Pro concilio quod non uideatur praesente manine
coactum aliqui ponunt cōciliabulum, sed hæc distinctio
minime est necessaria, quandoquidem concilium tam in
bonam quam malam partem, atq; item neutrām accipi-
tur. Liuius in quarto libro quartæ decados: A nullonon
generē summum periculum est si cœtus, concilia & se-
cretas cōsultationes eſſe finas. Et Cicero in tertio libro
Officiorum in neutrām partem accipit, annulumq; au-
reum in digito, quem ut detraxit ipse induit (erat enim
regius pastor) tum in cōciliū pastorum se recipit. Et
Iulius Cœsar in Commentarijs suis libro quarto de bello
Gallico, refert apud Germanos quondam solita haberi
cōcilia, quo certe tempore neq; Germania neq; ille etiā
doct̄

DE LINGVA LATINA.

doct. & Athenæ numen spiritus sancti cognorant.

Pro locum tenente dicas uicarium. Cicero libro de cimo sexto epistolarum familiarium: Itaq; te douicari um, tu cum obseruabis. et M. Brutus ad Ciceronem: An hoc pro beneficio est habendum, quod se quam Antoni um esse maluerit a quo ista petenda essent, uindice illo quidem aliciae dominationis, non uicario. In nominibus magistratum aut summorum officiorum alia quedam poterit esse usurpatio, ut neq; uicerem neq; uicelagatum, sed proregem, prolegatum, proconsulem, proprætorem, proquæstorem dicas.

Deuoti milites nominantur à Iulio Cæsar in libro tertio de Bello Gallico, qui à nobis uassalli aut feudatarij. sunt hec uerba Cæsaris Iulij: Alta ex parte oppidi Adiatonius qui summam imperij tenebat, cum sexcentis deuotis quos illi soldarios appellant, quorum haec est conditio, ut omnibus in uita commodis una cum his fruatur quorum se amicitiae dederint. Et ne putas deuotionem semper in bonam partem interpretari, placet subiungere uerba Suetonij in uita Caligulae: Non prius sucti censere in animum induxit, quam ueneficijs quoq; et deuotionibus impugnari se comperisset. et cap. 23. in Actis Apostolorum iuxta ueram translationem Lucas: Deuotione deuouimus nos ipsos nihil gustatueros donec occidamus Paulum. Porro qui à barbaris dicitur deuotus melius nominabitur religiosus.

Seruitor apud nos reiicitur, quin potius pro seruito ribus dixeris seruitia. Cicero pro Flacco: Operæ faces.

MISCELLANEA.

sant, seruitia silcant. Solitus ferè est Cicero collectam
temere rusticorum manum appellare operas agrestes.

Rhodolphus Agricola Phrysius, vir doctrinæ iudi-
cijq; singularis, in quadam ad Alexandru Hegum epi-
stola contēdit dici posse, bonum serum, autore usus Sue-
tonio Tranquillo, qui in vita Othonis Sylvijs sic scripsit:
Ac in serum usq; patēte cubiculo. Sic etiam Salustius
in bello Catilin. Et iam diei serum erat. Et ne exem-
plis nos desicere existimes, iterum Tranquillus in Au-
gusto: In serum dimicatioē protracta, ut in nauī uictor
pernoctauerit. & Liuius libro 10. prime decados, Ro-
mani apud Fabium arcebant magis quam inferabant
pugnam, extrahebaturq; in quam maxime diei serum
certamen.

Versus & uersiculus quis vulgo habentur pro me-
tris, tamen etiam quiscunq; tractus literarum, vulgo li-
nea, dici potest uersus. Ita Cicero in quadā epistola ad
M. Brutū: Breues tue literae, breues dico: imò nulla, tri-
bus ne uersiculis his tē poribus Brutus ad me. Eodē moe-
do apud Suetonium usurpatūr in vita Oct. Augusti: No-
taui (inquit) & in chirographo eius illa p̄cipue, non
diuidere uerba, nec ab extrema parte uersuum abundā-
tes literas in alium transfert, sed ibidem statim subiicit
circunducitq;

Mora ducere trahere uē, male intelligitur pro per-
petua stabilitate commoratione. Est illud potius, cū tem-
pus in longum deducimus, in mora atq; deliberatione
spēt aliquam salutis aut fortunæ reponentes.

Mede-

DE LINGVA LATINA.

Moderemus reproba uox est , at idoneæ in eandem
Significationem, neotericus, nouellus, hodiernus.

Inter bonos societatem, inter malos cōspirationem
eſe uolunt pleriq; Ceterum conſpiratio etiam est bono
rum, ueluti demonstratur his uerbis Ciceronis in episto
la ad Cn. Plancum: Subueni patriæ, opitulare collegæ,
omnium gentium consensum & incredibilem conſpira
tionem adiuua. Libet hic meminiſſe rhetorum Argento
ratensium, quibus in expostulatione quadam cum Era
ſmo Roterodamo ualde acerbum & iniquum uidetur,
quod ab eodem de conſpiratione inter ipsos factis redar
guntur. At uero Erasimus, qui norat conſpirationē utro
que uerſum accipi posſe, facile eiusmodi cauillū eluſit.

Affectionem astrorum dixit Cicero in libro de Fa
to pro influxu uel influentia, similitudine aliquantore
motius petita, si affectio in actiua significatione accipi
atur, qua tamē uoce potius uelim, uel Cicerone autore,
uti, quam barbare aut parum pertinenter loqui.

Deſuper aliqui putat non eſſe Latinum, ideoq; ma
lunt dicere, è ſupernis. Ceterum Vergilius hanc uocem
non est dignatus libro primo Aeneidos:

Aequora tua silent, tum ſyluis ſeu coruſcis
Deſuper horrentiq; atrum nemus imminet umbra.
Et Suetonius in Tiberio: Miſum in barenam aprumi
culis deſuper petiſt.

Secundum materiam ſubiectam, ita uulgus diale
ticorum. Tu melius, pro re nata, pro rei natura, pro
qualitate argumenti. Tamet ſi Tullius primolibro Aca

MISCELLANEA.

demicarum quæstionum cunctanter & cum excusatione inopie nostra circa inuentionem uerborum nomine qualitas sit usus.

Parafrenarius à plebeis dicitur q̄ sit à pedibus, idē à Suetonio uocantur ante ambulones, ab Apuleio stipitatores: quanquam καταφρακτοὶ quoq; dici possint stipatores. Simili etiā modo credentiarum nominant barbari cum qui sit à dapibus, quem peculiari nomine Suetonius in uita Claudiū uocat prægustatorem. Sic inquit ille: Et ueneno quidem occisum conuenit, ubi autem & per quem dato discrepat, quidam tradunt epulanti in arce cum sacerdotibus per Halotum Spadonem prægustatorem.

Reditus à redeundo dicuntur, et scribenda est hec uox per dū simplex. Ouidius libro iij. de Ponto:

At reditus iam quisq; suos amat, & sibi quid sit

Vtile sollicitus supputat articulis.

Calculare nihil est. Meliora hec, supputare, ad calulum uocare, ducere, expendere, subducere summam, rationem dati accepti q; exigere, reddere, ratiōes suas confidere. Deinde deducere summā & suppungere idē fermè significat: ac postremo rationem dati accepti p̄ constare, cum recte conueniunt omnia, dicimus.

Opus Pandectarum iuris civilis uocari digestū non probo, magis autem, si digestio appellaretur, cuius nomine opus prolixum intelligimus. Cicero in quinta oratione Philippiaca: ipse interea decē & septem dies, ut digestio potius quam declamatio uideretur, de me in Tyber

DE LINGVA LATINA.

Tyburnino Scipionis declamitauit.

Præcise non satis mihi proba uox esse uidetur, meliora hæc, cuiusq; usus postulat, proprie, peculiariter, ad uiuum usq;.

Dicimus res inanimas & inanima, non inanimata. Itemq; animal brutum, non apte ac peculiariter accipiatur pro animali carēte ratione, licet hic imperitum uul-
gus aliter sentiat. Quinimo brutum dicitur, quod quam
longissime abest à sensu sagacitateq;. Ita Plinius libro
octavo Naturalis Historia capite quinquagesimo pri-
mo, scribit suem esse animal maxime brutum, nimirum
hoc est quod Cicero libro quinto de Finibus honorū &
malorum his uerbis significat: Sunt autem bestie que-
dam quibus inest aliquid simile uirtutis, ut in leonibus, ut
in canibus, ut in equis, in quibus non corporum solum, ut
in suis, sed etiam animorū aliqua ex parte motus ali-
quos uideamus. Ad eundem modum Plinius capite uigesi-
mos secundo, libri decimi, scribit uetusiores sensum sa-
cientie in seribus tribuisse: Quin Horatius in carmini
bus tellurem brutam uocauit. Ouidius libro primo Fa-
storum:

Nec defensa iuuant Capitolia, quo minus anser

Det iecur in lances, Inache laute tuas.

Hos uersus Philippus Beroaldus in Rhapsodia annota-
tionū suarum parū mihi recte uidetur exponere, idq;
cum immutatione qua rūdam literarū, ut sententiae sue
magis obsequentes, opinor, ficeret, interim commemo-
rans neclo quam Iſidos deę fabulam. Ego porrò uiri il-

MISCELANEA,

ius nomen gloriāmque illibatam alioqui seruari cupiēt,
aliter duxi exponendum, nempe, quod anseres ob bene
ficiū seruati quondam Capitolij, nondum ipse incolu-
mit ut ē promeruerint, quo minus in escam pāssim daren-
tur, quin scribēte Plinio in libro octauo Naturalis Histo-
rie, capite quinquegesimo primo: Omnia primus Ap-
tius Romanus (qui lauitiarum & luxurie publicum
quoq; nomen infamiamque inde subicerit) inuenit certum
genus delicatioris obsonij ex anserino iocinore. Ac ni-
hil uetat quin hic suarum lauitiarum sedulum aliquem
discipulum imitatorēm uenire inuenērit, inachus qui dictus
fuerit, quod ipsum quoq; epitheton in uersu memorato
additum declarat. Atq; ita planior erit sensus Ouidij fa-
etus, et uersus nihil immutatior.

Vacantia non est Latina uox, melior autem uacan-
tia. porro pro uacatione seu feriatione à iurisdictione
ad tempus (ubi assulet quotānis) ponere licet iustitiū.
Nam ita apud Liuium & Suetonium reperio. Tam-
et si iustitiū plerūq; in publico luctu ac moerore olim
indicebatur: tamen penuria uocabuli proprij ac pecu-
liaris facile nos excusabit à licentia, qua iustitiū pro
omni uacatione à iudicij forte acceperimus.

Legulei constituunt differentiam quandam inter
arbitrum & arbitratorem, sed nihil est neceſſe, neq; ar-
bitratoris nomē apud autores idoneos reperi unquam,
& qui eiusmodi sit, appellari queat sequester pacis aut
arbiter honorari⁹. Ita Cicero in libro de Fato, Chrysip-
pus (inquit) appellat arbitrum honorarium, uulgo ho-
minum

DE LINGVA LATINA.

minum forensium. Subiungit prepositionem ad, si appellare uelit superiorem iudicem, sed illa prepositio hoc loco est superuacanea, porro pro laudo aut arbitramento ponatur arbitrium aut sententia arbitri.

Cautionem uocant Causidici, id quod habeatur pro pignore ac testimonio fidei. Attamen alia est huius uerbi acceptio apud Ciceronem libro quarto Tusculanarum Questionum: *Quoniam*, ait, *ut bona natura appetimus, sic à malis natura declinamus, que declinatio, si cum ratione fiat, cautio appellatur.* Ita in oratione pro Marcello: *Tua cautio nostra cautio est.* Ceterum ne iuris consuls de usurpatione cautionis prorsus redarguam, faciunt huc uerba Tranquilli in uita Octaviani Augusti, prope finem: *Iusq[ue] iurandum et cautionē exegit a singulis, nō alio loco datum summum, quām in emptionem Alexandrinarum mercium absumpturos.*

Amores suos miscere, paulo est uerecundius honestiusq[ue], quām reliqua huius sententie, & cum minus dicitur, plus tamē intelligitur, ut *εὐφρόσυνη* putas. Illud uero apud Vergiliū Didonis, paulo tectius nec minus turpicule dictum, *si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam, Dulce meum.*

Pro exactione que passim imponit aliqui nominant talias, collectus, præstantius, angarias, præcipue uero legulei in epistolis decretalibus. Tributum debet appellari. Cicerolibro primo epistolarum ad *Qu* fratre m: *sūptus* & tributa ciuitatū ab omnibus qui earum fines incollant tolerari equabiliter. Et libro xiiij. episto. fa. Incre

MISCELLANEA.

dibiles angustiae pecunie publicae que conquiruntur un
dique, ut optime meritis militibus promissa soluantur,
quod fieri sine tributo posse non arbitror.

Nationis uocabulum aliquoties gratum est cu*m* acci
pitur pro singulari aliquo genere hominum, secta uulgo ap
pellata, licet Festus nationis nomine ponet pro gente que
seorsum habitat in aliqua regione. Ita Cicero in oratio
ne pro P. Sextio licet te*ctum* usurpauit: Esto igitur (in
quit) ut hi sint quam tu nationem appellasti: et qui inte
gri sunt et sani, et bene de rebus domesticis constituti.
Et Plautus in Rudete certum genus hominum temnorū
uocauit nationem hominum famelicam, ita etiam Era
smus respic*ies* ad proprietatem Græcanici sermonis, il
lud Luce nono: Generatio praua, ueritatem commode in na
tionem prauam.

In uirem Calepinus interpretatur pro ornamen
to aurium quo Asiatici populi quondam utebantur, durā
te adhuc apud barbaras quasdam gentes eodem more.
Ceterum non aurium modo uerum etiam oris gestamē
fuisse declarant hec uerba Ezechielis prophetæ ca. 16.
Et dedi armillas in manus et torquem circa collum tuū,
et dedi inuarem super ostuum. Porro ne putes barbaris
dunt axat fuisse morem gestandi inuares, Romanis quo
q*uod* placuit. Ita Tranquillus de Aulo Vitellio scribit, quod
ex aure matris detractum unionē pignora uisit ad iti
neris impensas.

A' cella uenit cellarius nō cellararius. Est autē cella
ubi reponuntur ea quibus uescimur. Nam alia acceptio
huius

DE LINGVA LATINA.

huius uerbi ad propositum præsens non pertinet, siquæ
de non dictionarium texere, sed errorem imperitorū
annotare subleuareq; nostri & operis.

Instar non semper similitudinem formæ seu, ut ita
dicam, exemplaritatem uerum etiam magnitudinis cō-
parationem exprimit. Ita Vergilius in secundo libro
Aeneidos:

Instar montis equum diuina Palladiis arte
Aedificant.

Inter potum & potionem aliqui hanc differentiam
constituunt, quod hæc medendi gratia detur, potus ne-
cessitatis sit atq; naturæ: uerum apud Ciceronem libro
tertio Tusculanarum Quæstionum, apparet potionem
etiam ad luxum et uoluptatem adhiberi, hec sunt uerba
illius: Collocemus in culcitra plumea, psaltriam adduca-
mus, cedrum incendamus, demus scutellæ dulciculae po-
tionis: Nam alia loca ex eodē autore à Calepino in hanc
sententiam accita non me fugiunt, nec perinde ad rem
faciunt, siquidem ibi potio pro potatione accipitur, sicut
ti potor pro potatore.

De ratione bene loquendi singularem aliquam legem
tradere non mediocris est negotij, tam proclives sunt
ad censuras et reprehensiones plerique. Ita Laurentius
Vallensis cum tradit inter hec uerbane & quidem sem-
per interuenire aliquid necessario debere, sectatus hic qui-
dem est elegantiam & ornatum sermonis. At Ciceroni
interdum placuit suum morem dicendi uariare, neq; uim
libertatemq; sua dicendi certis tanquam angustijs prä-
ceptorum

MISCELLANEA.

ceptorum aut observationum concludere. Bis reperio
pud eundem inter ne et quidem nihil medium fuisse. Ita
ille libro primo de Natura Deorum: Nam de uitabeta
nil repugno, quam tu in deo ne quidem esse censes, nisi
plane otio langueat. Et in quinta oratione Philippicar.
Hic ijs qui in horam uiuerent non modo de fortunis Et
de bonis ciuium, sed ne quidem de utilitate sua cogita-
uerunt.

In diem, in horam uiuere, ac consulere sibi in longi-
tudinem, contrario quadam modo se habent, sicuti illa
quoq; esse animo remissa seu omisso, illinc animo
ad rem attentiore.

Commune uulgas literatorū arbitratur patricios
esse duntaxat optimates ciuiū. Neq; ab ea sentētia alie-
nus fuit Philippus Beroaldus in annotationibus super
Suetonium in uita Augusti, ac Politianus quantū con-
iūcio in p̄fatione super Miscellanea sua: ceterū consi-
derati conditionem nominis diligentius, apparebit in-
ferioris quoq; notæ homines patricios quondam fuisse.
Ita Cicero libro nono epist. fam. Sed tamen mi Petet qd
tibi uenit in mentem negare Papyrium quenquam un-
quam nisi plebeium fuisse? Fuerunt autem patricij mino-
rum gentium, quorum princeps L. Papyrius Mugel-
ianus.

Vexillum, Maxilla, Frugalis, hæc tria scribit Quintilianus libro primo oratoriarum institutionum eu-
sa à Latino Sermone: credo illum ad prisca Et abol-
itatēpora respexisse, cū alioquin in receptis habeātur.
Affi:

DE LINGVA LATINA.

Affimilare tollerem è claſſe uocum Latinarū, ſed
non nihil me uetat autoritas Pliniū auunculi.

Dare potestatem & facere potestatē, in eadē signifi-
catione aliquoties accipiuntur contra gregariorū
quorundam literatorum opinionē. Cicero libro decimo
Epifolarum fami, ad Cn. Plancum: Ut primum mihi po-
tentias data est augendae dignitatis tuae:

Affuit ex composito, breue & cōcīnne pro eo quod
ſit, quemadmodum conuentum erat, ſeu iuxta conuen-
tionem. Ex diſpoſito dixit Macrobius, loco aut tempo-
re alieno factum dictum' ue: elegans, ubi quid parum offi-
cioſe aut tempeſtive quis egerit locutus' ue fucrit.

Quid factum eſt: hoc apud Comicos aliquādo uſur-
patum uideo, dum alij moleſtiā aut conſternationem,
ſubito alijs conatur ex animo leuare, facti ipſiſ culpā
aut offenſionem minuendo, ſic etiam Martialis in deci-
mo libro Epigrammatum:

Quid rogo, quid factū eſt? Subiti que cauſa doloris?

Nil mihi reſpondeſ: Dicam ego: p̄etor erat.
Fac ut promiſſa apparet, elegans & Comicum, quoti-
es quem fidei ac promiſſionum ſuarum uoluimus admo-
nere.

Cum diſto affuit, Apuleianum, neq; nō elegans. Ver-
gilius vni p̄oſonā dicto citius dixit libro I. Aeneidos:

Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat.

Donatus Grammaticus deriuat à uerbo ſum, hec gerunt
dia: eſſendi, eſſendo, eſſendum: uerum doctiores quique
hanc derivationem non probant, atq; hic autoritatē Da-
nati

MISCELLANEA.

nati detrectant.

Charistia pro annona graui seu difficili male sumitur, est enim in hac significazione Italici uerius, quam Latini sermonis, ^{X capitulo} Græcis sonat gratiam seu decentiam.

Indocti sic loqui nonnunquam solent: Doctus est in omni scibili, tu melius, Cyclopædian absolut, in omni genere disciplinarum consummatisimus, per omnes eruditio- nibus campos peruagatus, atq; alijs id genus locutio- riate accusari sustineas.

Demeritum apud uulgos Italorum, idem est quod erratum. Itemq; apud barbaros excessus ponitur pro crato, noxa, maleficio, facinore admissio: Sumitur autem facinus ferè in malam partem, nisi adiectum epitheton aliter declareret.

Epostulare non semper est subaccusare seu appella re aliquem de iniuria, uerum etiam uehementer postu- lare & quasi enixe contendere. Suetonius in Augusto: Reconciliatus est post primā discordiam Antonio, ex- postulantibus utriusq; militibus, ut ex necessitudine alii qua iungerentur.

Dimidium huius, melius dicimus, quam dimidiata pars. Cicero in epistola quadam ad Q. fratre: Redemptori tuo dimidium pecunie numeraui. Dimidiatib- nibil est, quin etiā medietatis uocabulo quasi timide u- sus sit Cicero, ex his uerbis in libello de Vniuersitate in telligitur: Inter uallis ita locabat, ut in singulis essent bi- na me-

DE LINGVA LATINA.

namedia: uix enim audeo dicere medietates quas Græci
maspirat appellant, sed quasi ita dixerim, ita intelli-
gatur, erit enim planius. Hæc ille: Porro differentia in-
ter dimidium & dimidiatum licebit petere ex elegan-
tiss Vallensis. Medium autem intelligimus serè quod nō
sit in partes secundum sicuti dimidiatum. Terent. in An-
dri: Accurrit, medianam mulierem complectitur.

Quidam existimant nō comparco sed appareo hu-
ius loco dicendum. Contra Liuius accepit idem uocabu-
lum more uulgato in octauo libro primæ decados circa
finem ijs uerbis usus: Prima luce nec autor nec causa
terroris comparuit.

Præpedio à nōnullis deuitari uideo. Cæterum apud
Ciceronem in libro epistolarū ad Atticū forte reperi-
Atq; hic fidem ego non meam, designatione libri uololi-
beratam esse, tu fortassis de obseruatione loci negligen-
tiam accuses me am.

Reprehendit Beroaldus in certis suis annotationi-
bus Seruum scribentē in cōmētarijs super libros Aenei-
dos, quod compago nō mittat à se compaginis, atq; ibi
adducit Quidum qui in li. Metamorphoseos aliquoties
à nominatiō compago deflexerit ablātiūm compagi-
ne. Certe ego cum Serui libenter sentio, neq; enim sem-
per in deriuandis nominibus poetarum licetiam obser-
uare nos decet. Sed nihil mirū de Beroaldo alicui uidea-
tur, quod quascunq; noces obuias libenter fuerit ample-
xatus, cui singulās paginas floribus Apuleianis quoq;
inffergere placuerit.

Concis

MISCELLANEA.

Concius excluditur à clāſe uocum Latinarū, cuius
loco melius dixeris communis ciuis aut ciuis noster.

Cōfrater nihil est, pro eoq; dicās, frater aut cōſors,
qui m̄ collegij ſocium, dixerim collegam meum. Tametsi
apud turis consultos huius uerbi aſtrictior fit uſur patiō.

Legitimus uulgo intelligitur, qui fit ex thoro illibato
ſuſceptus: legi imū potiuſ, dicitur quicquid rectum
fit & aquabile, & ſcribitur per t̄ ſimplex contra morē
quorundam. Ouidius in amoribus:

Pectora legitimus caſta momordit amor.

Leucæthiopes nominantur à Plimio libro quinto ca-
pite ſeptimo, q̄. os Mauros albos Barbari uocant.

In Suetonio ſuper Iulium mentio fit de equis deſul-
torijs, eos putant eſſe doctiores, quibus paſſum utuntur
ucredarij.

Patria, & in qua nati ſumus & excepti dicitur, au-
tore Cicerone libro ſecundo de Legibus. Nomen cōter-
ranei, aliqui refutant, nihil offendit, quia Plinius dixe-
rit Catullum ſuum conterraneum, malunt q̄; Grece dice-
re ſympatriden.

Multo mane dixit Cicero in libro quinto epiftolarū
ad Atticum in ea quæ incipit, Beneueniū ueni, ut appa-
reat mane ibi haberī pro neutrō indeclinabili non autē
aduerbio.

Mandare, quantum intelligo, apud Ciceronem ſepe
numero accipitur pro coquod ſit per alium nūciare ſeu
alieno ore notum facere. Ita profecto debet capi in Epi-
ftola P. Vatinij ad Ciceronē lib. quinto epiftolarū fami-
quæ

DE LINGVA LATINA.

que incipit, Si uales. Sed enim paulo significantius cognoscitur uis huius uerbi in hac acceptione libro quanto epistolarum ad Atticum, ibi: Tarentum ueni (sic enim ait.) Nec tamen iam habeo quid aut mandē tibi aut narrē (intelligas per epistolam.) Mandaui quidē omnia que tu ut polliceris, exhauries: narrabo, cum aliquid habeo noui.

A modo pro posthac seu deinceps est Apuleianū. Si militer intimo, notificare, certificare, reprobantur, eorumque uice ponuntur, notum facere, certum aut certior rem facere uel reddere: licet cum etiā certiorem facere dicimus, qui alioquin nihil certi à nobis habuerit. Tamen aliter apud Tullium non libro Epistolarum famis Heri ueni in Cumamum, cras ad te fortasse, sed cum certum sciam, faciam te paulo ante certiores.

Dies rogationum ad imitationem uetus statis merito dici debet dies supplicationum. Porro schedulae quas indecni supplicationes vocant, sunt supplices libelli dicendi.

Instrumenta publica aut literæ autenticæ, uocantur tabulae aut tabellæ: Arcam ubi reponuntur, uocavit Cicero in oratione pro Archia poëta tabularium, Bullas quoque diplomata merito uocari, nemo ferè mediocriter doctus ignorat.

Ita ac si esset: Melius, ita ut si esset. Terent. in Eunucho: Vbi accepit, coepit studiose omnia docere, educare, ita ut si esset filia.

Nihil adhuc: melius, nihil dum. Cicero in epistolis

MISCELLANEA,

famī ad Cāssium: Et quanquā nihil dum audieramī
nec ubi es. Et alibi ad Pomponium Atticū: Hic nihil
dum de redditu Cēsarī audiebatur.

Doleo, miseror cāsum, sortem, uicem, fortunam tuā,
bene dicimus: non item compatiōr tibi: pro compassiōe;
dicimus cōmiserationem seu communem dolorem, Grē
ci aptius οὐμπάθειαν exprimunt. Condoleo quibusdā non
placet, neq; ego probarem si diceres, Cōdoleo tibi. Con
dolescere absolute dixit Cicero in libro primo quæstio
nar̄ Academicarū.

Dispēsco idem est quod fugo seu facio, evanescere;
contra expositiōem Calepini, qui dispēsco imaginatur
esse compositum à pasco, ut sonet idem quod est, à pa
scuis abducere.

Apud Tranquillum legimus in uita Tiberij, Mathe
maticos olim Roma expulsos aliquandiu fuisse. Hic Ma
thematici sunt, qui alias diuini, alias Mantici uocantur.
Ita eiusdem nominis homines & boni & infames fue
runt: Nam Mathematicas disciplinas docti quoque
cas nominat, que circa numeros, pondera & mensurā
uersantur.

Vrbs & ciuitas quatenus inter se differunt, aliqui
ignorantēam differentiam facile cognoscēs ex his uer
bis Ciceronis in oratione pro P. Sextio: Tum conuentū
cula hominum, quas postea ciuitates nominauerūt, tum
domicilia coniuncta, quas urbes dicimus.

Astruere nō tam apte ac proprie significat ea, quae
nolueris uerbis probationibusq; confirmare, uel appen
dicere

DE LINGVA LATINA.

dicem struere, quām concedere aut ultro deferre, ueluti
ti si dicas: Hunc magistratum communi consensu Pe-
tro astruxerunt.

De his uerbis amo & diligo, & ceteris illa Ciceronis
14. libro Epistolarum ad Atticum, satis indicat maiore
uehementiam esse in hac uoce amo quām diligo. Sic en-
nī ait: Quis erat qui putaret ad eum amorem quem
erga te habebam posse aliquid accedere? Tantum acces-
sit, ut mihi nūc amare videar, antea dilexisse. & ad M.
Brutum & Clodius Tribunus plebis designatus ualde me
diligit, uel (ut iudeas) dicā, ualde me amat. Quo
fit ut mirer Theologis nostris plus acceptum esse no-
men dilectionis quām amoris, si amorem dei & proxi-
mi uelint exprimere, cum hic amor summus esse iubea-
tur. Ceterum per me licebit unicuique loqui quomodo uo-
luerit, etiam si amores (hoc enim uocabulum in plurimi
numero obsceneum est) pro amore dei quis ponat.

Indignus non semper est reprobis, sed proprie im-
meritus. Cicero in Lælio: Quām multa em que nostra
causa nunquam faceremus, facimus causa amicorum,
precari ab indigno supplicare.

Pluries nihil est, quām tu melius frequenter, sepius,
se numero dixeris.

Hincinde male ponitur pro hinc atq; illinc uel pas-
sim: quanto yus nihil significat. Tu uero melius, prima
quoq; tempore, primum ubi commodū erit, aut per ot-
ium scilicet tempus licebit, quam primum, quamcelerrime:
tametsi postremum hoc magis ad continuationē quām

MISCELLANEA,

inchoationem pertinet. De hoc uerbo mature, quoniam autores inter se se uariant, nihil statuo dicendum, nisi quod citra culpam cum mature dicas affuisse, qui satis in tempore affuisse. Exemplum sit illud Ciceronis in secunda epistola decimiquinti libri epistolarum familiarium: Quum pridie Calend. Sextil. in prouinciam uenisssem, neq; maturius propter itinerum & navigationum difficultatem uenire potuisse.

Ocyus quibusdam uidetur esse poëticum magis, quam tamen Ciceroni in libro 4. disputationum Tusculanarum uti placuit.

Telonearius dici non debet, quamuis autore Ambro-
sio Calepino, sed telones aut portitor. Tametsi me non latet paulo longius se porrigerere nomen portitoris.

Insomneit as dicitur à medicis morbus quidam, qui ubi acceperit continuationem, sit letalis: quod uocabulum, quia barbarum est, ponatur eius loco peruigilium. Est tamē peruigilium non solum naturæ atq; morbi, sed etiā officij. Ita Suetonius de Sergio Galba scribit, quod certam deam anniversario peruigilio coluerit, ut ibi nomine peruigilijs, intelligas symbolum aliquod ac speciem uigiliarum, quibus Christiani quondam tempore nascen-
tis florentisq; ecclesiæ festis noctibus utebantur, ritu for-
tassis propè pari, religione diuersa. Ceterum quod ad insomnecitatis uocabulum attinet, tolerabilior paulo temeritas uideatur peruigilijs significatione paulo latius extendere, quam barbarum uocem usurpare uelle.

Propinare non deriuat à se propinam. Ego libetius munus

DE LINGVA LATINA.

munus honorarium appellauerim, probatissimorum quo-
rum exemplum secutus, idque generaliter uno uerbo: nam
stræns, xenium, apophoretum, non sunt uniusmodi. Spor-
tula solunmodo apud leguleios ualeat munus, nobis ali-
ud quiddam sonat.

Tribulare nihil est: Affligere, molestare, turbare,
uexare, exagitare sunt magis recepta. Inquietare non
ita facile admittitur, tametsi autore Suetonio, qui hoc
uerbo sit usus, queat admitti.

Rhythmus contra quorundam captiuum & intellige-
tiam, autore Cicerone libro de Oratore quinto dicitur,
quicquid sub aurium mensuram aliquam cadit, etiam si
abest auersu, hoc est, mea quidem interpretatione, q.
quid per numeros uoluitur, & apta ac concinna perio-
do circumscribitur terminaturq;. Solent enim Rhythmi
afferre gratiam aliquam oratori, & quasi mollius im-
animos auditorum influere. In quam sententiam alibi di-
xit idem: Quasi uero Trallianus fuerit Demosthenes,
cuius non tam uibrarent fulmina illa, nisi numeris con-
torta ferrentur. Ita ille: Est tamen sicuti aliarum rerum
ita rhythmorum quoque uitanda crebritudo, propter affe-
ctus & suspicionem artis: nec tamen in circo committen-
dum, ut nostra oratio hians ac salebrosa uideatur.

Cœna pro meridianâ quoque cibatione seu accubatio
ne ad mensam accepitur: ita apud Festum reperi, et apud
autores obseruui.

Panem secundarium aliqui putant esse eum, qui bis
coctus sit: alij eum, qui sit mixtum ex surfure, ita, ut ap-
pareat

MISCELLANEA,

pereat similaginem, hoc est, florem tritici, præcedere, atq; hinc panem primarium fieri. Ad similem modum uimum secundarium, quod expressis iterum botris fit, uti reperio apud Plinium libro decimoquarto Naturæ historie. Itali nominant uimum aquatum, eo quod solet in prelo perfundi aqua non modica, uimum quale in mensis operarum agrestium inferunt Itali.

Habere fidem sine periculo reprehensionis dicas, nō itidem adhibere fidem.

Apud Ciceronem non temere reperias, recepi literas tuas: sed frequenter, Accepi literas tuas: non tamen nego apud Plinium Luniorum inueniri, recepi literas tuas.

Solet M. Antonius Sabellicus Liuum imitatus auctorem, quosdā magistratus vulgo comites aut barones, appellare regulos: Vnde colligo non esse regulum dunt taxat pro parvo rege intelligendum. Tametsi in Euangelio Ioannis quarto, regulus Græcis sit βασιλεὺς.

Inter bibacitatem & temulētiā, video aliquid interesse, ita ut bibacitas paulo plus comprehendat, ac non semper in uitio ponatur: Namq; potest esse naturæ, potest etiam accidere ab irritatione morbi, sicut hydropticos aut laborantes febribus ardentibus, caratione baces quidem dixeris, non protinus temulentos. Ipsa uero temulenta nullam sui excusationem habet, cum sit consueta in gliuies, & furor bibendi.

Miror nōnullos intelligere grossū pro denso, crasso, immenso, grandi, spiso. Grossus alioquin nomen substantium,

DE LINGVA LATINA.
tiuum, est fucus.

Cicero quasi primus omnium hāc uocē, proportio,
usurpat in libro de Vniuersitate: aut quod uero simi-
lius sit, prius timide usurpatam, deinceps comproban-
dam duxit.

Piissimus non eſſe uocem Latinam autor est Cicero
in 13. oratione Philippicā. Nuper apud quendam nō in-
celebris opinionis uirum Germanie inuenit am scriptū
munificissimus. Pudebat me certe uicem hominis, cum
pueris quoq; constare debeat, munificentissimus sicutē
pieniſſimus dicendum eſc.

Congratulor, aptius cū ſi dieas, uniuersus ſenatus,
omnium ordinum consensus congratulatur tibi, quam
congratulor tibi, ita ut congratulor non ad unū refe-
ratur, ſed ad plures qui gratulentur.

Anticipare me memini reperiſſe apud autores ido-
neos, non autem posticipare. Vergilius in Rosa:

Strictior eos preceſſerat aura iugales,

Aestiforum ſuadens anticipare diem.

Suffragari plerunq; eſt uerbo tenus opitulari, &
quasi collatis suffragijs ad ſententiam alterius acce-
dere.

Cum barbari uolunt dicere, aliquem tot puncta aut
ſuffragia tulisse, male merentur de lingua Latina, ſi di-
cant, aliquem tot uota habuisse. Horat. in sermonibus

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Prerogatiuum priscis temporibus pro quodam quaſi
præiudicio quod rogationem precederet, habebatur.

MISCELLANEA,

Cicero in Oratione pro L. Muræna, licet hæc uerba alij
inuentant. Etenim si tanta illis comitijs religio inest, ut
adhuc semper omen ualuerit prærogatiuum. hæc ille.
Prærogatiuum habebatur loco boni ominis. Erat quon
dam prærogatiua militaris, ueluti si milites aliquæ ac
clamaſſent Consulem aut Imperatorem, hoc est quod Ci
cero paulò ante in eadem oratione dixit: Voluntas mi
litum cum per se ualeat multitudine, tum apud suos gra
tia, tum uero in consule declarando, multum etiā apud
uniuersum populum Rom. num autoritatihabet suffra
gatio militaris. Et Liuius in p̄fatione super decadem
tertiam: In Asdrubalis locum haud dubia res fuit quin
prærogatiuam militarem, qua extemplo iuuenis Anni
bal intra prætoriū delatus, imperatorq; ingenti omnī
clanore atq; assensu delatus erat, fauor etiam plebis se
queretur. Porro quod prærogatiuā aliqui accipiūt pro
privilegio aut eminentia, qua alijs quis p̄fet, non ui
deo qua autoritate nitantur, imo qua ratione excusen
tur. Sed redeo ad prærogatiuam. Ea per centurias aut
tribus distributa atq; habita, tum accedebatur ad colla
tionem suffragiorum, post, siue ad declaracionem eius
qui designatus fuisset, seu ad legislationem. Quod nisi
precessisset rogatio ad plebem, abrogari poterat lex.
Ita Cicero in Quinta oratione Philippica: Nunc uero
cur non abrogandas censem quas iudico non rogatae?
Quod si rogatione ad plebem facta aliquis docuisse id
de quo lex ferenda erat, mali exempli eſſe, nec toleran
dam legem eiusmodi, ea demum intercessio uocabatur.

Præ.

DE LINGVA LATINA.

Præiudicium uulgo male acipi pro incommodo, ab alijs quoq; traditum scio, quare huius erroris lectorē dū taxat admonuſe satis erit. Nec uerat quin sententiam interlocutoriam possis uocare præiudicium.

Opprobriū ægre admittitur pro probro: ac reiſce-rem prorsus, niſi ſemel atq; it erū in Suetonio reperiſ-ſem, ac deinde apud Modestinum Iurifſultum in Pan-deſis, titulo de uerborū ſignificatione. Maledictū p.u-lo eſt mitius. Benedictum ex aduerso etiam ponunt alē qui uno uerbo coniunctim, apud Terentium in Phormia ne, ibi: Benedictus ſi certaſſet, audiſſet bene.

Qui hoc modo loquuntur: Ante Remigij, poſt Ioan-nis, iuxta intelligi uolentes diem aut eiusmodi aliquid, excufari mihi poſſe uidentur forte ab exemplo Cicero-nis ſic ſcribētiſ in epiftola quadam ad Q. frātrem, qua incipit: Scripti ad te ante: superioriſ. Ad Sextum idus Februa. ad Apolliniſ ſ. c. factum eſt. Et ad eundem in ea, que habet principiū, Rome: Rome & maxime Ap-pia ad Martis mira proluiuies, intellige diem, uel potius edem. Item ſimiliter Terētius in Adelphis: Vbi ad Dia-ne ueneris, ito ad dexteram. Sunt alia huius generis exempla plura.

Contractus uix credo idoneum uocabulum eſe pro pacto aut conuentione. Similiter distraho prouendo, eſt Apuleianum.

Nomina facere, doctiores uſurpant pro eo, quod ſit ſufficiētem cautionem dare. Cicero libro tertio Officia rum: Emit homo cupidus & locuples tanti quanti Pythi-

MISCELLANEA,

misuoluit, & emit instructos, nomina facit, negotiū con-
ficit. idem libro septimo epistolarum familiarium ad Pa-
bium Gallum: Tantum ex Arpinati ueneram, cum mihi
ā te literā redditæ sunt, ab eodemq; accepi Anianilite-
ras, in quibus hoc in erat liberalissimum, nomina se factu-
rum, qua ego uellem die.

Nomen deferre, est quodammodo accusare.

Nomina dare, est se in militiā inscribi facere, aut
in communem societatem cōspirationis coire. Nostro-
rum hominum quidam scribunt, Nomina dare Euange-
lio, sed licetia (uti mihi uidetur) aliquāto maiore, quam
decet.

Protelare nihil est: meliora hæc, prorogare, differ-
re, in longum ducere, protendere, protractare, moras ne-
ctere, procrastinare, prolatare: uix preterquā apud Li-
uium reperi. Ita ille in principio primi libri de secundo
bello Punico: Nihil prolatandum ratus, ne se quoque ut
patrem Amilcarem, deinde Asdrubalem, cunctantem
casus aliquis oppimeret.

Votum facere non tam facile inuenias quam uotū
habere, uotum uouere, uotum nuncupare: Luius libro se-
cundo tertię decadōs: Votis rite in capitulo nuncu-
patis.

Sed tamen in uotis habere, est rem aliquā totis ani-
mis concupiscere optareq;

Honestum apud Comicos poētas interdū pro decoro
& eleganti accipitur, ut honesta forma. Ita ē diuerso
apud Terentium Eunuchus in honestus describitur.
Sibi

MISCELLANEA,

Sibi constare, secum ex omni parte consistere, est
uim ingenij animorumq; firmam uegetamq; permane-
re, quod alias quoq; ferme ad eadem significationem di-
citur, ingenium in promptu, in numerato habere.

Industriosus in cpte dicitur, si homini hoc epitheton
attribuas, qui industrius melius uocatur.

Pro nullibi ponas nusquam: itemq; pro nullatenus,
subiecte nequaquam, neutquam.

E contra non est Latinum, sed hec illius uice potius,
è diuerso, aut contrà, dum hoc in uim aduerbi transit.
Ex aduerso Coraxorum gentis, scriptit Plinius in seculi
dolibro natura histo. E' regione domus huius, male di-
ctum uolunt, è contrario uix tandem recipitur. Econ-
uerso, male melius, mutata uice, uici sim, uice uersa, se-
paratim ihs duobus uerbis positis. Alterne libentius, q
alternatim, & alternis uicibus, citius quam alternatis
dixerim. Alternis simpliciter est poëticum.

Sibimet imperare apud Terentium belle dicitur,
qui omnes cogitationes, omnia consilia in promptu ha-
beat, ad plausumq; & mores uulgus sese norit accommo-
dere.

Commودum pro emolumēto, incommodum pro da-
mno aliqui ponunt. Ceterum quantū inter hec utrobiq;
distet, qui scire uoleat, legat tertium librum Ciceronis de
finibus honorum.

Effigiare apud uetus os idoneosq; Latinitatis auto-
res non inueni: delineare, exprimere characteribus, de-
pingere aut effingere potius dicendum est, idq; pro rei
ipsius

MISCELLANEA,

ipsius natura de qua loqui uolucris.

Tradere obliuioni non recte satis dicitur, licet tradere memoriæ sit aptū: meliora, obliuiscor, oblitus sum.

Barbari aliquoies sic loquuntur: Respectu pietatis, ratione doctrinæ est sublimatus. Tu sic hanc sententiam proferto: Ob pietatem et eruditionem uir ille ad tantum magistratum est subiectus. Ob bene gestam uitam meruit hunc locian obtinere. Ad hoc fastigii commendatione uirtutis & doctrinæ peruenit. Sunt alia huius formæ innumera exempla.

Hoc uerbum niti, contra uulgatum morem loquendi prepositionē in, quæ subsequatur, non desiderat. Ita cum semper ferè Ciceronem, tum uero sic in primolibro Officiorum est locutus: Est igitur adolescentis, maiores natu uereri, ex hisq; deligere optimos ac probatissimos, quorum autoritate atq; consilio nitatur.

Malæ fidei poffessor: Meliora hæc iudicātur, Domini nator, occupator, inuafor.

Pro uictualibus docti habent commeatum.

Inanire nusquam apud doctos me legiſſe recordor, sed exinanire. Cicero libro primo Actionum Verrina rum Siculoruū ciuitates uastasse, domos exinanisse, phana ſpoliaſſe dicunt.

Vili pendium & diſturbium nihil ſunt.

Ad primum, ad secundum lapidem, hic non intelligitur ſpatium quantum ictus lapidis emittatur, sed ſingularis ac per lapides prægrandes eructos diſposita denotataq; locorum diſtantia, quomodo apud urbē Veronam

DE LINGVA LATINA.

ronam ac item multis alijs Italiæ locis ad singula inter
ualla miliarium lapides sunt dispositi.

Manutenere pro defendere aut protegere, in epte ac
cipitur.

Alleuiare est nothum. Alleuare, legitimum.

Cyaneus color est fulvus, subobscurus, quem & mu-
stellinum nostri dicunt, κύανος metallum.

Quem barbari griseum, tu piceum aut fumicum uo-
cabis: qui uero ex hoc genere magis ad candorem incli-
nat, cœruleus aut aquilus uocet, non ab aquila, sed aqua
nomen accipiens, quin ipsa etiam quamlibet iactabunda
& diues uerborum Græcia simili exemplo nomina co-
lorum à certis rebus coloratis est mutuata.

De heliochryso colore apud Pliniū in capite octa-
uo libri uigesimiprimi mentionem duntaxat reperi, de
scriptionem autem nullam. Est enim aureus, sed rubore
subpallidum ostendes, ueluti si purpuræ flavius color co-
misceatur. ήλιος sol dicitur, χρυσός aureus.

Luteus color non est ad speciem luti, quâmis inde
nomen accipere uideatur. Est enim subfulvus nigrorem
uel minimum concilians. Intuetur hic color summa pro-
fecto cum uoluptate oculorum, λύθρος enim est crux,
qua ratione contra morem consuetum scriberetur per
luteus. Huc fere depinxit Vergilius libro septimo Ae-
neidos:

Iamque rubescebat radijs mare & æthere ab alta
Aurora in roscis fulgebat lutea bigis.

Specificare nihil est apud doctiores, pro eo quod sit, no-
minus

MISCELANEA,
minatim exprimere, planius facere, sigillatum ac suo
quodq; ordine referre seu exp̄plicare.

Pro annihilare dicat ad nihilū redigere, è medio au-
ferre, sustollere.

Victoriosus uix nisi autore inuentore q; Catone re-
cipitur. Ita annotauit Aulus Gellius capite nono libri
quarti Noctium Atticarum.

Reabilitare respurcē dicitur: at pure, restituere in
integrum. Disp̄sationes seu indulta aut exēptiones uo-
centur priuilegia. Siquidē priuilegium nihil est aliud q;
priuata lex, & à iure communi exempta.

Allegare pr̄ter vulgarem acceptiōnem etiam est
subornare, si non mittere, & tam in bonam quam in malā
partem accipitur. In malam apud Terentium, ibi: Oro-
senex ne hunc à me allegatū putes. In bonam uero apud
Ciceronem libro decimoquinto ep̄stolarum familiarium
ad Marcellum Conf. Si mihi tecū minus eſet q; est cum
tuis omnibus, allegarem ad te oēs à quibus int̄cligis me
precipue diligi, id est, mittere inducerē q; eos quoniam
comendatione me considerem apud te gratiosum fore.

Ampliare pro amplificare male sumitur. Amplia-
tio quondam fiebat, cum prius lege decernebatur, si cau-
sa agitatam in iudiciū deduci deberet. Ita Posthumia uir-
go uestalis apud Liuum quarto libro primæ decados,
cum in suspicione criminis uenisset, ob cultum amenior-
rem facilitatemq; morum, prius de suspicione cœptum
est aḡ: nunquid leuis aut temeraria, ac proinde reiçien-
da uideretur: ea cum locum maledicis daret, nec deinceps
stu quoque

MISCELLANEA,

stū quicquam tamen constaret, pro collegio pontificum
absoluta fuit. Est ergo ampliare tanquam præiudicio fā
eto iurisdictionem continuare, usq; ad pronuntiationem
ulterioris sententiae. Alij putat ampliationem esse, cum
iudices incognita sibi merita causæ confitentes (ut more
uulgato loquar) litigatores ad superiorem iudicem re-
mittunt: quem morem apud nos scimus per uulgatum esse.
Verum hæ expositiones ambæ ferè eodem incident. De
hoc etiam aliquid Beroldus in libro Annotationū sua-
rum, ne debit a laude ipse fraudetur, alijs tamen à nobis
quoque obseruatū, ne cadaveribus ab aquilarelictis tan-
quam vultures nos pasci putas.

Facilitas morum in bonā partem, pro clivitatis in peccati
rem licet tur, autore Cicerone libro quarto Tusculana-
rum Questionum.

Hoc te concernit, ita barbari: tu aliter, hoc te cōtim-
git, attingit, hoc tui muneris, officij, partium est, ad si-
ludem dignitatē ue tuam pertinet, tua res agitur, tua
aut officij tui interest, hoc negotium te respicit.

Officialis quem peruerso ita nominamus rectius di-
catur Index ordinarius. Notarij quondam alijs erant q̄
qui nunc eodē nomine censemur, ac etiā D. Hieronymi
tempore, ne nimis uetus a se ē emur.

Licentiatos, Bacularios aut Cursores (sic enim Ita-
li uocant) quarumcunq; artium melius dixerimus Can-
didatos earum quas profitentur disciplinarum.

Tuo bono feci, tuo magno bono feci, comicū ex ele-
gans, cum beneficium alijs collatū adornare, aut in opti-
mans

MISCELLANEA,

mam partem interpretari uolueris. Ita Luius in principio secundæ decados bono reip. facere dixit. Et ita se re Cicero in epist. ad Brutum: Si minus id cōmodore ip. facere possis.

In libro quem de re uestiaria Lazarus Bayfius eruditum consensu omnium & elegantem scriptis, quorum dam autorum affert testimonia, quibus plane ostendit, quondam cidarin fuisse ornamentum regum, & quantum cōiectura aſsequor, eius figure cuius est pilcus Venetorum principis. Verum si qua fides aut autoritas debetur Septuaginta interpretibus, & post hos Hieronymo, quantum huc attinet, cidaris etiam fuit pontificum. Sic enim habetur Leuitici octauo capite: Vestiuit pontificem subacula linea, accingens eum baltheo, & induens eū tunica hyacinthina, et desuper Humerale imposuit, quod astringens cingulo aptauit Rationali, in quo erat doctrina & ueritas: cidari quoque texit caput. Sed etiam in plerisq; alijs locis ueteris testamēti inuenimus cidarin pōtificum gestamen fuisse, cum ijs sacra obiret.

Audientia et si Latinum est nomen, tamen impure loquuntur qui hominē multæ autoritatis aut celebris opinionis dicunt esse magnæ audientiæ.

Deliquium Solis aut Lunæ male dicitur: Rectius, eclipsis, aut si cum Plinio Latine malis loqui, defecitus solis.

Extare non solum est existere seu in rerum natura esse, sed etiam supereminere. Ita Luius in secundo libro tertiae decados: Elephanto q̄ unus superfuerat, quod altius

DE LINGVA LATINA.

altius aqua extaret uectus.

Supplicare est paulò demissius orare obsecrareq;
ducto more à misericordia plicatis manibus rogant. Ad
rare est tacite secum uenerari, neq; adeò solum ad res
diuinas adoratio refertur, ut Iuuenalis etiam dixerit,
frictum crissatis adorat. A surgere alicui, est honorem
paulo reverētius deferre, à rito quo honoratioribus ma-
joribusq; a surgimus.

Ad decus & ornatum epistolarum facit, quippe
quæ breuitate commendentur, ut interdum uerba omit-
tam, sicuti est apud Ciceronem: Sed quid ego hæc ad
te? An non sus, quod aiunt, Mineruam? Aliás coram plu-
ra. Sed enim quia de obseruatione istiusmodi locutionis
nulla certa præceptio tradi potest, imitemur sanè Cice-
ronem, ad exemplarq; huius totam rationem stili no-
stri accommodemus, qui isthæc scite appositeq; uti ois,
scripserit.

Desuetudonon est mala, sed contraria consuetudo,
fieri autem potest, ut desuetudo sit bona & laudabilis,
quemadmodum apud Liuum libro primo ab urbe condī-
ta, de Numa Pompilio legitur, qui regno ita potitus, ur-
bem nouam conditam ui & armis, iure legibusq; ac mo-
ribus de integro condere parat: quibus cum inter bella
assuescere uideret nō posse, quippe efferatis militia ani-
mis, mitigandum ferocem populum armorum desuetu-
dine ratus.

Nomen loquela proprie non est accipiēdum pro sin-
gulari aliquo idiomate, sicuti barbari solent dicere, Jo-
d quclam

MISCELLANEA,

quelam Germanicam aut Gallicam: quin potius est se-
ries aliqua uerborum. Ita Vergilius in quinto libro Aca-
neidos: Funditq; has ore loquelas. Videtur tamen loque-
lae uocabulū uix ab oratoribus paſsim receptum, & in-
ter obsoletā habendum, nec ferè apud Ciceronem repe-
ritur, niſi citatum ex Accio Pacuvio ſemel libro quarto
de Finibus bonorum, et alibi libro tertio Tusculanarum
Questionum.

Seceſſionē & ſeceſſionem, tamet ſi non nego ſaepen-
tero confundi, tamen germana horum uerborum ſigni-
fatio eſt diuerſa. Seceſſus quidē aut locum ſignificat,
ad quem laxādi animi gratia declinamus, aut ipsam de-
clinationem talem: Seceſſio autem intelligitur fieri ob-
ſerias aliquas cauſas tractandas. Ita Cato in oratione de
lege Oppia abroganda, libro quarto decadōs quarte T.
Liuij, Seceſſionem muliebrem appellavit eam, que ad tu-
multus & ſeditiones excitandas fuſſet parata. Apud
Cæſarem it em libro primo de bello Pompeiano, Seceſſio
accipitur pro auerſione quadam et digreſſione, ſtudio,
ſeditione facta. Libet autem uerba ſubijcere, quo mentē
autoris percipiā melius: Quotiescūq; ſit decretum, in-
quit ille, darent magistratus operam, ne quid reſpublicā
detrimenti acciperet, qua uoce & quo Senatus conſ. po-
pulus Romanus ad arma fit uocatus, factū in pernicio-
ſis legibus, in ui tribunitia, in ſeceſſione populi templis
locisq; editioribus occupatis, atq; hæc superioris etatis
exempla expiata, Saturnini atq; Gracchorum caſibus
docet, quarum rerum illo tempore nil factum nec cogi-
tatum

DE LINGVA LATINA.

tatum quidem, nulla lex promulgata, non cum populo
*gīceptum, nulla secessio facta.

Nomen consocij à Bebelio alicubi refutatum legi:
ceterum si Suetonius haberi debet probus autor dicen-
di, hic eo uerbo usus est eo loco ubi describit propaginē
Cesaris Augusti. Ego tamen timide uterer, propriea
quod passim à doctissimis non probatur.

Non potuit conceptum mentis exprimere, ita non-
nulli loquuntur pro eo quod sit, sensa animi exprimere:
quos ut non improbo prorsus, ita rursus elegantiores
modum loquendi traditum video. Elegās certe illud Te
rētiū in Phornione: Vbi ad iudices uētum est, non potuit
cogitata proloqui.

Ambrosius Calcipinus exponens illud nomen artola-
ganus, de scribit esse genus edulij ex pipere, oleo & pla-
centis in patella confecti. Ego potius Pliniū autoritatē
secutus in decimo octavo sic scribentis: Aliqui dicuntur
à delicij, ut artologani: intellige panes: censuero esse
genus panis dulciarij: quod si multa materies simul coi-
ret in confectionem artolagani, iam non panis sed edu-
lium haberi posset: quod si ad uoluptatem & irritamē-
tum gula ex multis rebus cōficitur, cur ergo Cicero in
nono libro epist. fami. ridens sordes & tenuitatem L.
Papyriū Peti, scripsit: Dedi scēdæ sunt tibi sporellæ &
artolagani cui?

Dominatus fermè in malam partem accipitur. Pro
dominio pone ditionē, qua intelligenda est pro iure &
autoritate imperandi, non profini in Imperij alicuium.

d y vel

MISCELLANEA,

Vel documento queat esse illud Liuij in primo libro
tertiae decados. Ea gens in parte magis quam ditione
Carthaginensium erat.

Dicecessit est scribendum penultima breui, non dioce-
sis, siquidem Græci sic habent diuinoris.

Hæc uerba, sublimitas, celsitudo, excellentia, pre-
stantia, dignatio, dignitas, dominatio, atq; alia huius ge-
neris, magis inseruunt nostri temporis consuetudini, qua
ipſis interdum uti cogimur, demunt tamen nonnihil de-
prisca illa maiestate atque dignitate sermonis Latini.
Quamobrem qui castiorem formam loquendi sequi uo-
luerit, parcus iſdem utatur.

Similiter nonnulli in formandis diminutiuis uerbis
ad uitium usq; sunt crebri & insolentes quoq; uideli-
cet ut scribant Epistoliolum, literulae: uerum hūc more
nō video placuisse Ciceroni. Cupio autem in te cernere
uegetum aliquod & quasi masculum robur dicēdi, idq;
adeo potius quam in formandis illis diminutiuis uerbis
quasi fractum te & imbellem uideri.

Miscellanea, hæc uox à multis putatur eſe foemini
ni generis, sequentibus, opinor, expositionem Calepini,
aut communi errore alioquin laborantibus, cum sit he-
teroclitum neutri generis. Tametsi derivatione qua-
dam Gellius in ultimo libro Noct. suarum certā doctri-
nam uocauit miscellaneam & confusaneam.

Concordare non tam apte significat diſſidentes in-
ter se pacificare seu constituere se pacis sequestrum, q
cōgruere, atq; adeo institutis moribusq; inter se conue-
nire.

DE LINGVA LATINA.

nire. Ita Terentius in Phormione: Si concordabis cum illa, habebis, quae senectutem tuam oblectet.

Catholicum aliqui existimant esse idem, quod Christum, dicentes: Ille est homo catholicus. Ceterum catholicus idem est, quod universalis.

Calepinus exponens illud Terentij: Neque ille solus dedit, nec tu uno contenta eras, mire se contorquet, ut doceat contentus esse passuum generis, ut contenta idem ualeat quod satis facta: reprehenditque hac parte Lauren tium Vallensem, sed immerito. Et si enim contentus etiam est participium, tamen eo loco est nomen, neque cum actiuo neque cum passiuo participio quicquam habens con nomen. Ita etiam alibi Terentius: Scitum me hercle hominem & elegantem dixit, quo loco scitus queat intelligi pro sciente. Itemque circumspectus non qui circumspicitur, sed qui in omnem partem sit intetus. Nam hoc quoque uocabulum me apud Ciceronem inuenisse memini, tametsi loci ipsius recordatio statim non subit animum. Reperi etiam circumspectum apud Suetonium in vita Tyberij, ita enim scribit ille: Adduci tamen nequeo, quin existimem circumspectissimum & prudentissimum principem in tanto praesertim negotio nihil temere fecisse.

Barbari aliquoties dicunt, hoc est in fieri: tu melius, hoc est proximitu, propè est, ut hoc negotiū sit cōfectū, res est sub incude, atque alia eiusmodi licebit fingere.

Loco huius, secundum quid, dixeris aptius, quadanterus, seu aliquousque.

Quæstio si est, melius dicitur thesis: Quæstio quid d iij est,

MISCELLANEA,

est, diffinitio siue notio: Questio qui est, hypothesis.
Pro sigillero dicas signatorem: nunc sic voca-
tur à Tranquillo in T yberio.

Pleraque sunt uocabula quæ usu quodam, sed nimium
quam corrupto ex Italicō idiomate sunt desumpta, ha-
benturq; vulgo pro Latinis, ut Allodium, pro heredita-
te: Appretiari, pro estimare: Appropriare, prouendi-
care seu usucapere: Blada pro frumentis: Cāpus pro exer-
citū: ligā, pro fœdere: guerra, pro bello: truega, pro in-
ducijs: Saisare uel sachisare, pro extorquere seu pūm
auferre: bancharius pro argentario, nummulario, men-
sario aut collybiste: importat, pro interest seu refert:
contentare, pro eo quod sit contentum reddere: assēcu-
rare & contutare se, pro eo quod sit, sibi tuto ac diligē-
ter prouidere: asportare, pro tollere aut secū ferre, qua-
lia consulto oportet uitare.

Barathrum, characteres, penultima syllabi enun-
ciantur longi, contra morem vulgarum: Academia est
ancipitis pronuntiationis: ego tamen citius producerē,
sicut ille quoq.

Inq; academia sumbris ferantidoq; lyceo.

Q v o

QVONIAM AD COGN

TIONEM HISTORIAE TAM VETERIS quam recentis aut mediae etatis, etiam conduit notitiae locorum, statui breviter quarundam regionum, urbium, montium, lacuum nomina recensere, quo quæque sicut temporibus appellata fuerint: neque tam est animus singula quæque sectari, nam hoc ingentem librum requireret, nec in nostra fortassis foret potestate, id tamen quod mihi forte constat, non grauabor expromere.

Quae olim magna Graecia dicebatur, cuius se penumero apud T. Livium fit mentio, nunc est Apulia & Aprutium.
Nauplia in Peloponneso, dicitur modo mutato vocabulo, Neapolis.

Philippenses sunt Macedones, à Philippo rege Macedonia diciti. Macedonia, campi Philippici.

Scodravult M. Antonius Sabellicus eam esse quam Albaniam dicimus.

Colosæs sunt Rhodij. Constantinopolis, est Byzantium.

Pera à fronte Byzantij, Parus, lapidibus Paris à se nominatis celebris, quorum in libris veteris testamenti decoratorum per sepe fit mentio.

Naupactum ad Ionium mare, dicitur Lepanthum. Sinus Ambracia, vocatur modo Larta.

Neritos Vergilij carmine celebrata & à Corinthiis absissa à contineti, dicitur ad Sanctam Mauram incole, Maurense.

MISCELLANEA,

Salamina in mari Aegaeo, hodie vocatur Constantia,
patria Homeri, quorundam opinione, quem idmodum te
statur Cicero in oratione pro Archia poeta.

Mitylene se Lesbos, Metallina modo vocatur.

Malea promontorium Peloponnesi, quondam pira
tarum subfectionibus infamis, modo dicitur Sapientia.

Bosphorus Thracius, brachium diui Georgij.

Cretam constat esse Cadiam.

Damyata urbs Aegypti ad ostium Nili, quondam
Aeliopolis, dicta ab Aelio Pertinace, qui eam triplici mu
ro circuiderit, scribente Baptista Platina in vita Ho
norij III. Pont. Max.

Epidaurum hodie vocatur Ragusa.

Syponsum hodie vocatur Manfredonia, a Manfre
do rege Sicilia Frederici II. ex pellice filio.

Delon insula maris Aegei Calepinus in dictionario
suo scribit omnium Cycladum clarissimam. Respexit
bonus ille vir ad tempora prisca, quondam enim merca
tura fuit nobilis, uel Plinio autore, ceterum hodie pro
pemodum inculta est & deserta, idq; opinor, ob proie
ctionem umbrarum: namq; promotorium Cynthus, sus
umbras traditur proiecere, quam late Delos ipsa patet.

Niniue modo appellatur Mosoal: Ioppe, Iaphne.

Memphis regia Turcæ in Aegypto, Cairus.

Nicopolis in Syria, quondam Emissus dicta.

Aphrica, Barbaria.

Thraeces sunt Rassiani, quatenus angustias Thermos
pylarum incolunt.

Polo.

DE LINGVA LATINA.

Polonia, haud dubie est Sarmatia Europea.
De Getis & Dauis, quoniam pro seruis habetur apud
Comicos, dubitatio est adhuc apud plerosq; , qui nam iij
sint habendi. Dauos esse qui Chersonesum Cimbricam
incolunt, plerunq; inter doctos conuenit, quod Cimbro-
rum reliquiae à cede C. Marij incerta & uagabunda
Dauorum loca petiūset, satis adhuc horrida & inculta,
unde aliorum seruituti se subdiderint nimia pressi ad-
huc inopia. Porrò Getas, mutato aliquantulum uocabu-
lo, opinantur esse Gothos, gentem partim è Lituania,
partim è Polonia. Alij & cum his Plinius libro 4. Natu-
rhist. Dacos (hodie Valachos) scribunt esse Getas. Sunt
etiam qui opinantur Moschouios è Getis esse, gentem si-
nitiam Scythis, idq; fortassis à commercio lingue et
morum. Vnde Massagetas & Thugetas, ad quos ori-
ginem Turcarum Aeneas Sylvius refert, dictos fuisse
putant. Adeo uariatur inter autores, & despectum no-
men aliij in alios libenter transferimus.

Bosniæ regnum finitimum Pannoniæ, est Maesia su-
perior. M. Antonius Sabellicus uir extra omnē aleam
doctissimus, contendit Croatiam esse partem Liburniæ:
Croatas, Liburnos.

Boiosquondam uult Aeneas Sylvius esse Baioarios
seu Bauaros, nihil offendus Strabonis commemoratiōe,
scribentis illam partem Germaniæ horridam nemori-
bus atq; incultam, sed quod incolarum sedilitate atque
industria facta sit illa regio cultissima feracissimaq;.

Menapios censerem esse Iulienses duxit taxat, ni

MISCELLANEA.

fime ueraret autoritas Cæsaris scribentis in tertio libro de bello Gallico hos populos quondam trans Rhenū quoq; habitasse. Interim quomodo dubitem nostrā gentem ē Menapijs esse, faciunt eiusdem uerba libro tertia belli Gallici circa finem, ubi scribit apud Menapios esse perpetuas paludes, quod per agranti iuliacensem regionem, facile erit uidere. Siquidē à monasterio Eiflia ad ripam fluuij Arphe, adusq; hostium quo hic in Rhenum illabitur, intueri licet continentes paludes, recenti quoq; memoriam magna ex parte oblimatas frequenti alluuzione aquarum. Porro Menapios frequentiores multo cis Rhenum quam ultra fuisse ex eo satis appetet, quod à Plinio et Cæsare inter Belgas numerantur.

Carui populi mihi uidetur esse ij, qui uocātur Krenten et Vundeken inter Austrā et Italiā.

Plinius accolas Rheni à Colonia Agrippina ad Batavos usq; uocat Gubernos: ij nisi sint Cliuenses et Gelrienses, non video quos alios horum loco Gubernos appellare debeam: Nam gentes Sicambrorū trans Rhenū incoluerunt.

Ceterum de populis Germanie uix illa posset esse certa traditio, nimiumq; inter se se discordibus auctoribus, nominibusq; etiam multum immutatis. Quod si ante aliquot saecula Germania habuisset studiosos ueteris literariæ perquirendæ, qui post Cornelium Tacitum de situ et moribus ipsius traxerint, haberemus quoriam fide niteremur.

Insulae Baleares, sunt Majorica et Minorica, regna inter

DE LINGVA LATINA.

inter Hispaniam & portum Massiliensem.

Gergoniam locum ualidam sed irrita Cæsar is Iulij ope
sidione memorabilem, M. Antonius Sabellicus & Rai-
mundus Marlianus putant esse urbem Claromontensem
in Gallia Lugdunense.

Pictones quoddam, hodie Pictavienses esse creduntur.

Aquitani Vascones. Tametsi termini Aquitanie sunt
latores. Etsi enim à Plimio Vascones reponantur in Hi-
spania citeriore, tamen quos hodie Vascones appellant
in partem Gallie, Narboneñ. sed multo maiorem tenent
Aquitaniæ.

Allobroges uolunt esse Sabaudienses: uerū fines Sa-
baudie multo longius se extendunt.

Taracone, Aragonia: Aragonenses, Taraconenses
proprie dicuntur. Sunt populi Celiberi.

Prouincia prouinciarū, pars Gallie Narboneſis,
ubi hæc in Italiam uergit, regio longe amoenissima, ut
non immerito prius illud nomen sortit. uideatur.

Mare Tyrrhenum & inferum idem sunt, dicitur
etiam Ligustum, sed nō ferè aliás, quam ubi Ligures
attingit, nempe ab Insubribus usq; Tusciam, inde à no-
mine illius regionis, Tuscum dictum.

Mare Hadriaticū, idemq; sinus, etiam superum ma-
re dictum, priscis quoq; temporibus. Cicero libro nono
epist. ad Atticum: Sunt ista quidem que disputas diffi-
cillima, iter ad superum & navigatio infero.

Ischia insula ex aduerso urbis Neapolitana, dici-
tur proprie insula Aenaria.

Lacus

MISCELLANEA,

Lacus Thrasymen⁹, memoria Hannibalis uictoriae
& morte Q. Flaminij nobilitatus, hodie dicitur lacus
Perusinus.

Lacus Vadimonis, est prope Viterbiū.

Aequicoli montes in Sabinis, uocantur Tagliacozza.

Soracte in Faliscis, Mons carmine Vergili⁹ celebra-
tus, à Sylvestro pont. accolā nomen postea accepit.

Lacus Benacus, Domitij Calderini uicinitate illu-
stris, est lacus Veronensis.

Vocontios aliqui intelligent eos, qui uulgo dicuntur
Pedemontēses, & iqui eos, q̄ incolunt regnum Nauarre,
cum Plimio censeatur esse pars Galliae Narbonensis V̄o
contia, libro 14. cap. 8. itemq; cap. 4. libr. 4. Qui

harum rerum inquirendarum paulo erit dili-

gentior, conferat lectionem recentio-

rum geographorum cum uetustis,

legatq; ex recentioribus Sabel-

licum, Aeneam Syluiū, Rai-

mundum Marlianum,

Franciscum Ireni

cum, & si qui

sunt alijs.

PERORATIO AD LECTOREM.



Vm Romæ annis superioribus D. Raimū
do Vichiano Cardinali forte ab epistolis
eſſē, atq; illarū una ad D. Iacobū Sadole
tum conscripta, indicaret nullius me cer-
ti autoris uestigia ſectari, ſed u. 120 quodā ac fluxo ora-
tionis genere deferri, & cum iam forte coram loqui da-
tum fuſſet, tū uir ille, quo nemo doctior hoc aeuo reper-
tus ſit (iudicio enim meo ſuffragatur testimonium am-
pliſſimum Erasmi in libro epifolarum floridarum nu-
per edito) collaudata priuſcribendi indole, paulo etiā
plus fort. iſſis quam dignum erat, dehinc ſubaccusat de-
lectum iudiciumq; meum, quod hact enus nondum ſta-
tuīſsem cert. am aliquam formam rationemq; dicēdi cō-
ſectari. Itaq; me prorsus reuocat ad lectionem Cicero-
nis uoluminum, fore confirmās, ut lectio obſeruationem,
obſeruatio imitationem pariat. Addit insuper, me quaſi
non ſentientem, aliquos tamen proſectus breui facturū.
Tāti ſcilicet eſſe optimis quibusq; aſſuēſcere. Parui (uti
paruit) tanti uiri conſiliohortationi q; ac dicerem qui-
dem aliquid de utilitate quam inde conſecutus ſum, niſt
quia uereor me opinionem aliquam iactantie de me cō-
citaturn. Atqui diceres, nūquidnam igitur cæteri ſcri-
ptores contemptui habēdi, aut quod adhuc ſuperbum ui-
deatur, relinquendi ſunt? Minime, inquam, quippe quo-
rum multo maxima pars faciat, tum ad uariarum cogni-
tionem rerum, tum ad cultum ingenij, tum ad copiā di-
uiniāq;

uitiasq; sermonis Latini, add e etiā uoluptatem. Verum
enim uero neminē horum statuo esse à quo iudiciū auto-
ritasq; dicēdi, imprimis peti debeat. A Cicerone primo
petenda est, à Liuio & iulio Cæsare deinceps, et Terē-
tio: reliquā quidē quotquot unq; fuerūt, bene loquēdi scri-
bendiq; autores, aut obfolet & illi uetus tati fuerūt propri-
ores, aut in ea tēpora forte inciderūt, cū sermo Latinus
à prisca illa cœpit degenerare puritate maiestatisq;. Sua tñ unicuiq; fuit gratia, suus debet honor. Quorū tñ
ij q; illi sunt tolerabiliores, quiq; propiores fuerūt etati
Ciceronis in hac turba scriptorū meliores, ueluti Fabius,
Plinius, Suetonius, Sallustius, Tacitus, Q. Curtius: ite-
rumq; Plinius Nepos: Sed quorsum hæc ut rationē insi-
tutu cōsiliq; nostri cognosceres. Nempe à quibus autori-
tas dicendī sit sumenda potissimum. Evidē quod ad me at-
tinget, facile patiar unicuiq; suum delectum, suam senten-
tiam illibatam manere. Placeat alij uetus illa nouitas
Plauti. Deriuitionē atq; licentiam uerborū Gellianam
amet aliis, sit qui ludat flosculis Apuleianis, Ciceroni tā
mē prior palma deferatur, sua autoritas sit integra. De
cuius autoris laudibus dicere, nisi ipse quamlibet diser-
tas omnīū laudatiōes superaret. Tritum est prouerbiū,
uino uenali nihil opus esse suspensa hedera. Hoc tamen
subiectam, in Cicerōe usuuenire, quod in reliquis scripto-
ribus non perinde, ut repetita lectio suorū operum gra-
tiam nouitatis nō solum non amittat, sed augeat etiam.
Habes breuiter expositam tibi causam rationemq; insi-
tuti nostri, simul etiam nō pacivis quandam. Vale lector
optime.

EDIFICIO DE LA CATEDRAL



2030468

ΔΙΩΣΗ ΝΑΥΦΟΙΑΣ ΦΟΙ



Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.